



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro
singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 28. De necessitate bonorum operum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](#)

D I E S XXVIII.

De necessitate bonorum ope-
rum.

I.

Fides sine operibus ad nihil utilis est ; quām ad comprobandam Dei justiam , & nos damnandos . Qui non credit , inquit servator , jam judicatus est . At is , qui credit , nec tamen facit , quod credit : severius judicabitur . In Evangelio ficus sterilis ad securim , & ignem condemnatur . Ærarij præfectus , qui talentum in terram defodit , punitur ; & servus inutilis reis annumeratur , & ad tenebras exteriores ejicitur . Virgines fatuæ , licet castissimæ , quòd curam lampadibus oleo alendis , id est , charitati in cordibus suis conservandæ per operum bonorum exercitium non im-penderint , à nuptū sponsi fuerunt exclu-sæ . Christus aliam causam non affert Condemnationis Christianorum in die ju-dicij , quām operum Misericordiæ omis-sionem . Esuriri , inquit , & non dedistis mihi Matth . 25 . manducare . Ea propter igni æterno vos addico .

S 2

II. Bo-

Martius,

II. Bonum igitur fac: nam bonum non facere est malum facere. Bonorum operum in Christiano sterilitas, vera iniquitas est. Tantum boni fac, quantum interni luminis habes. Luminis tibi concessi magnitudo, rigorem judicij tui constituet; tantum boni fac, quantum fecisti mali, tum sanè multum boni feceris. Tantum boni fac, quantum potes. Bonis, quæ agimus, limites ponere, est nostro in Deum amori, ejusdémque in nos Bonitati limites ponere. Fac bonum cum fervore; nam *maledictus est, qui facit opus Dei negligenter.* Fac id intentione pura; sine hac enim bonum in malum degenerat. *Lumen, inquit Christus, mutatur in tenebras.* Fac illud iustitu gratiæ; sine hac enim id absque merito facies. Et, ubi hæc omnia fecisti, dic te servum inutilem esse, nec fecisse, nisi quod omittere, quin puniri merereris, non potuisti.

*Luc. II.**Luc. 17.*

III. Quam multi inveniuntur in Munde, similes illi sicui sterili in Evangelio, quibus satis est proferre folia sine fructibus, hoc est, habere virtutis speciem, quin reapse virtutem habeant; quibus effectus felicitatis indolis, probæ educationis, vel honestatis Mundanæ, humanive respectus, vel ad summum probitatis ethnicæ viden-

tur

etur veræ sanctitatis fructus, cùm tamen illi Martius, ab innato quodam gravum scelerum horrore Profiscantur. Interea se innocentissimos credunt, quod Mundi oculis non magnopere scelerati videantur; imò etiam sibi persuadent, se magnis virtutibus esse præditos, quod multum honestatis mundanæ præferant, vel paucis vitijs, vel saltem majoribus non laborent; quantumvis vitam mollem, & inutilem ducant, nec ad virtutes Christianas exercendas incubant, nec obeundis Misericordiæ operibus se impendant. Quantopere hujusmodi Christiani perterrefient, ubi coram Deo comparere debebunt; cùm eis vanitas ethnicarum suarum virtutum, & vera vitae immoderatio ob oculos ponetur. Autem demum id agnoscere cupis, cùm Iudex id tibi exprobrabit ad tui condemnationem?

Statue serio virtutum Christianarum, & operum Misericordiæ exercitio te dedere, quantum tibi per vitæ tuæ conditionem, & vires licet.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. *Psal. 13. v. 3.*

Si cor tuum otiosum non sit, non sunt otiosa opera tua. *Ambros. in Psal.*